



**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 27. De ingressis Religionem,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

Angelus in verbo Nouitius §. 14. quia talis vere est Religio-fus, iuxta illud, quod ex capit. vnico De voto in 6. nequeat valide matrimonium contrahere, vt nec expresse professus. At religiosus non est nisi aliquius religionis, in qua profectus est. Quare debet in ea retineri.

387. Tercio modo ingressus religionis fit, quando quis Nouitionum habitum sibi ipit animo mutandi vitam absolute & simpliciter; hoc est, voluntate religionem profitendi, & in ea perpetuo manendi, quem animum demonstrat aperto aliquo signo externo; quale esse potest beneficium suum alteri regnante, aut se bonis suis abdicare. De hoc mentio est in cap. Super eo, in cap. Consulti, in cap. Statutis, De regulariibus, & in cap. Beneficiis, & in cap. Non solum, eod. tit. in 6. In illis enim decernitur, eum qui suscepit habitum Nouitorum, posse intra annum probationis libere recedere; nisi illum suscepit animo vite ratione simpliciter mutandi. Vnde aliqui Canonistæ (quorum meminit Azor in prima parte Moral. Instit. lib. 12. cap. 4. qu. 4.) voluerunt deducere, quod hi modus constituit diuersorum à præcedentibus professio-nis genus. Sed contrarium tenendum est cum Syllo. in verbo Religio 3. q. 19. versu. Quarto inducitur, Rosella verbo Nouitius §. 13. & Angelo cod. verb. §. 12. quia professio religionis (vt citatus aliquot Canonistæ idem Angelus habet in leg. §. 13. & iam ante attingimus) nunquam inducitur, etiam si quis ex-presse vœuat, nisi ea fiat in manibus illius qui potestatem ha-beat ordinariam vel delegatam recipendi, & incorporandi religioni in qua sit professio. Cum autem quis tertio isto modo ingreditur religionem Superior tradens ei habitum Nouitionum non tradit animo admittendi ad professionem, sed solum ad probationem, vt vitam & mores ipsius exploreat. Accedit quod in cap. Non solum De regularibus, in 6. religio-nem isto modo ingrediens, aperte distinguitur ab eo qui profite-tur expresse vel tacite; cum scilicet ad illa verba, Nisi pro-fessus sit expresse vel tacite, adduntur ista: aut eudenter con-sett illam vitam mutare voluisse.

388. Iura autem prius citata, quibus sententia contraria nititur, non sufficere ad illius probationem: Azor loco citato ex eo docet, quod ex illis nihil amplius deduci possit, quam eum qui Nouitionum habitum sibi suscepit simpliciter, animo & voluntate profitendi, atq; perseuerandi in vita religiosa, adstringatur voto simplici religionis: neq; iure possit ad secu-larem vitam statutum redire; cum religionem ingressus sit non modo vt experiretur, an vita religiosa sibi expediret, prout solent ceteri Nouitij: sed etiam voluerit adstringere ad emittendam professio-nem, & perseuerandum in ea re-ligione. Vnde tanquam sequitur, quod peccatum sit quidē, rediens ad secularum vitam; non tamen quod possit in foro externo tanquam profectus cogi redire ad religionem; neq; si ipse matrimonium contrahat (etiam si in eo peccet mor-aliter contra idipsum votum, quo obligatur coram Deo) illud erit nullum, prout constat ex cap. vnico De voto in 6. Neg; etiam tenetur manere in religione, cuius habitum suscepit, sed eft ipsi liberum aliam, etiam laxiorem eligere, ex cap. Confut. De regularibus.

389. Porro quod eandem libertatem eligendi aliam religio-nem, Angelus in verbo Nouitius §. 14. concedit ingredienti per professionem tacitam (argumento capit. Constitutio-nem, De regul. in 6. Admiserim procedere in casu quo sic in-grediens, nullam præcisè habuit intentionem se adstringen-di ei religioni; sed tantummodo relinquendi seculum. De voto enim iudicandum est ex intentione vœuentis. Quod si talem se adstringendi intentionem haberet, negarim habe-re prædictam libertatem; quia in cap. Ex parte, De regulari-bus, taliter professi præcipiuntur per Ecclesiasticam censu-ram compelli, determinatè monachalem regulam secun-dum formam ordinis, profiteri & seruare. Nonnulla alia de ingredientibus religionem proponunt & satis familiariter explicant Syllo. in verbo Religio 2. & 3. & Azor in cit. lib.

12. cap. 4. & 5. apud quos ea videnda relinquemus: cum hæc videantur sufficere Parochis, quorum instrucionem maxime spe-

statutus.



## C A P . X X V I I .

### De ingressis religionem.

### S U M M A R I V M .

- 390 Varietas eorum, que Religionis incumbunt ex officio.
- 391 Quatuor casus in quibus Religiosus mortaliter peccat contra obedientiam.
- 392 De peccato eius qui in religione vota tantum, non autem regula-s servare v. ltr.
- 393 Quatenus peccat Religiosus agendo contra regulas que non ob-ligant ad cu' pacem.
- 394 Obedire sine precepto, quia in eo expecta v. melius est: & quid agendum, cum diversi Superioris contraria mandant item quid in dubio.
- 395 Quando si aut non sit necessarium, quod Religiosus Prebente suo obediat.
- 396 Quatenus confuse uero posset, aut non posset excusare ab obser-vatione regale.
- 397 Religiosus post factam professionem, de suis bonis disponere non posset: nec testamentum ante illam factum mutare.
- 398 Peccatum suo gen. re mortale Religiosus committit contra pau-pertatem, habendo proprium.
- 399 Tres casus in quibus Religiosus mortaliter peccat retinens ali-que dñi r. proprium.
- 400 Peccat Religiosus in volens de aliquo libere disponere, ac si domi-nium illius haberet.
- 401 Religiosus de eo quod d. non accedit non potest disponere.
- 402 Ad quæ erat Religiosus ordinis, in quo assignatur cuique suum proprium.

390. E

X ijs qua religionem ingressis incumbunt ex officio, quedam sunt propria illius ordinis quem suscepunt; ad quorum notitia habendam consulenda sunt propriae consti-tutiones eiusdem ordinis: nec enim omnium eadem sunt, sed variorum varia. Quædam vero sunt communia, atque adeo ab omnibus cuiusvis ordinis Religiosis servandas, vt quæ ius commune illis vniuersel sub precepto imponit. De quibus quoad ius novum, Concilium Trident. legi debet in sciss. 25. Deregularibus (cuius generis ex eodem Concilio multa resert Azor in prima parte Moral. Institut. lib. 12. cap. 18.) & quoad ius antiquum, legi debent causa & tituli iuriis canonici quos initio huius tractatus commemoravimus. Nonnulla illius generis, tanquam polita in vnu frequenti, referemus in sequenti capite, ac quantum ad nostrum institutum vide-tur sufficere, tractabimus. Alia deniq; religio ipsa de se exigit ab omnibus Religiosis; nempe ea quæ spectant ad tria illius essentialia vota: perpetua castitatis, paupertatis, & obedientie. In quibus nullum Superiori dispensare posse habe-tur ex Concil. Trident. loco citato cap. i. De Summo Pon-tifici, quid tenendum sit, explicatum videri potest apud eundem Azorium in praed. cap. 7. De ijs autem quæ huius terrij generis sunt, dicere oportet in hoc cap. Et quidem de spectan-tibus ad castitatem nihil aliud occurrit dicendum, quam com-mendatissimam esse debere omnibus Religiosis: ut pote, qui hac ex parte tencantur vitam coelestem ducere, puritatem imitan-do Angelorum, quibus per votum ipsum castitatis (se nu-ptriarum omnino expertes reddendo) similes sunt, iuxta il-lud Matth. 22. In resurrectione neq; nubent neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in celo. Quod caue hinc accipere vt existimes sub votum castitatis sedare solummodo abstin-entiam ab vnu matrimonio. Nam simul etiam cadit, quia can-alis, ab omni eo quod castitati repugnat: sicut sit verbū, tunc cogitatio: ita vt peccatum grauius sit in Religioso, quam in seculari non habente votum castitatis; cum in hoc luxuria-tantum; & in illo adhuc sacrilegi rationem habeat; vt bene-notat Syllo. in verbo Religio 6. quæst. 8. siccq; duplice mali-tiae reus sit, vbi alter tantum est vnu; vnde non sufficit ei, vt in confessione dicat fornicatus sum, nisi aperiat se reum esse violati voti. De ijs autem quæ ad obedientiam & paupertatem religiosam spectant aliquot documenta occurrent pro-ponenda pro ratione iudicandi de peccatis quæ con-tra votum de illis Deo factum, contin-git committi.

Documenta pro ratione iudicandi quando contin-  
gat Religiosum peccare contra votum  
obedientiae.

391.

**P**rimum est. In quatuor casibus (qui tanguntur à Diu-  
Thoma 2. 2. queſt. 186. art. 2. & 9.) Religiosum peccare  
mortaliter contra obedientiam. Primum est, quando aliquis  
facit contra id, quod Superior p̄cipit consentaneū regulæ  
cui generaliter ille se adstrinxit, estq; requiritum non modi-  
ce ad votorum castitatis, paupertatis vel obedientie obser-  
vantiam: aut eidem non parum necessarium ad æternam fa-  
ludem. Cum enim tale preceptum detur in materia gravi,  
obligationem de se inducit sub mortali. Vnde si tale factum  
iam alias mortale sit generis suo; ipsum agrauat mortali-  
ter tali malitia inobedientiae. Secus autem accidit in ma-  
teria leui, aut quando à Superiori quid eiusmodi non p̄cipi-  
tur, sed solummodo proponitur: neq; enim inobedientia  
est, vbi non datur iusso. Videri potest Gregor. à Valent. 2. 2.  
disp. 10. q. 4. puncto 5.

Secundus casus est. Quando Religiosus non facit id quod  
Superior iniungit eis in virtute sanctæ obedientie, aut alijs ver-  
bis æquivalentibus; aut sub pena qua incurrit tantum ob-  
peccatum mortale; vt excommunicatio, aut alia aliqua ratio-  
ne, qua significetur preceptum ei dari exequendum sub poe-  
na peccati mortalis.

Tertius est. Quando contra Superioris vel Regula p̄-  
scriptum Religiosus agit ex contemptu, id est, interpretante D.  
Thom. in eod. art. 9. ad 3. quando ex peruersa voluntate, qua  
superbe nolens præcipiti subjici, inde procedit ad contra-  
agendum. In quo mortale peccatum committere patet: cum  
& per votum obedientie adstringatur ad talem subiectio-  
nem; & Superiori locum Dei tenenti, notabilem faciat iniuriam.

Quartus casus est. Quando nullam omnino habet (salu-  
tis immenor) intentionem tendendi ad perfectionem; id  
enim quædā apostolica est à professione: que hoc ipso quod  
religiosa est, versatur in tendentia ad perfectionem, seu pro-  
fectu in vera charitate: adeo vt in talis Religioso idem con-  
tingat ac in scholastico nullam intentionem habente tenden-  
tia ad literarū scientiam: p̄fæstum cum religio schola quæ-  
dam sit, in qua perfectio discitur. Vnde Religiosus non qui-  
dem perfectus esse, sicut Episcopus. sed ad perfectionem ten-  
deret tenetur: sicut discipulus non tenetur quidem sciens esse  
sicut magister, tenetur tamen studium adhibere vt talis eu-  
dat: qua doctrina est D. Thom. in precedentem art. 2. ad 1. Iu-  
uerit autem videre P. Iacobum Aluarez de Paz, tom. 1. De vi-  
ta spirituali. lib. 5. cap. II.

Notat, autem cum Caiet. Gregorius à Valent. loco citato  
circa quartam circumstantiam: Religiosum non aliter tene-  
ri contendere ad perfectionem, quam agendo vitam regu-  
larem eo modo quo illam promisit. Adde quod idem ha-  
bet circa secundam circumstantiam; quod per votum obe-  
dientie Religiosus non solum promittat se adimplerum  
præcepta Superioris: sed etiam adimplerum secundum vi-  
tam regularem sui ordinis, id est, cum subiectione erga re-  
glas legitima autoritate à Prælati prescriptas alumnis suis.  
Talem vero subiectiōnem in hoc confistere: quod siue  
huiusmodi regularē secundum se obligant ad peccatum mor-  
tale vel veniale, siue ad nullum peccatum per se obligant,  
sicut illa Dominicanorū, testis D. Thom. in cit. art. 9. ad 1. carum ob-  
seruatio ad eundem Religiosum sic attineat; vt merito Su-  
periores possint à transgrediente penas exigere, quas ille suffi-  
nire tenetur, etiam quando nulla fuerit obligatio earum ad  
peccatum, prout D. ipse Thomas ibidem expressit. Quia cum  
ita sint, relinquitor quod sicut Religiosus obligationem quam  
habet tendendi ad perfectionem: satisfaci eo ipso, quod vult  
subiectus esse regulis sui ordinis: si transgredi eandem ob-  
ligationem eo ipso, quod non vult eidem reguli subiectus  
esse: quod peccatum est mortale, tanquam notabilis viola-  
tio voti obedientiae.

Secondum documentum, quod in eodem punto 5. circa 4.  
circumstantiam Gregor. à Valent. tangit, est. Eum non peccare  
mortaliter violatione voti obedientiae, qui sic est animo co-  
paratus in religione, quod nollet quidem regulas ultra vota  
esse: quod peccatum est mortale, tanquam notabilis viola-  
tio voti obedientiae.

sua seruare, vellet tamen iſdem regulis subiectus esse, ea sub-  
iectione de qua paulo ante diūm est. Id quod habetur ex  
D. Thoma in citato art. 9. cum temperatione notanda, quod  
talis possit aliunde esse in peccato mortali: nempe ex p̄ce-  
pto quod cum intentione obligat ad mortale Prælatus ore-  
tenus dederit, aut in regula exprefserit: itemque ex pericu-  
lo, cui talis se exponit, contemnendi regulas, atque adeo  
vitam regularem, ad quam adstrictus est voto. Namque,  
vt ibidem ad tertium Diuus Thomas bene notat; confu-  
da transgredendi, folci contemptum inducere; iuxta illud  
Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorū,  
contemnit. Qui contemptus ex p̄cedentem numero, casu  
tertio, peccatum est mortale: & per consequens, periculum  
quoque incurrit in illud. Qui enim amat periculum, in  
illo peribit. Ecclesiasti 3. Idem dic de eo qui propositum  
habet transgredendi omnes regulas præcipiūs ordinis, quibus  
veniunt ad perfectionem (cuiusmodi censentur esse perti-  
nentes ad sui abnegationem, aut ad carnis edomatationem;  
aut ad mundi contemptum) quia tunc interueniret con-  
temptus interpretatus vita regularis quam voulit; non  
item si vellet aliquas ex iſdem regulis præcipiūs seruare,  
quantumcunque nollet omnes: quoniam volens cum suis  
votis seruare aliquas de præcipiūs censeri, posset ad perfe-  
ctionem tendere, etiam si eam non cureret. Hoc indi-  
catum à Sylvestro in verbo Religio 1. qu. 12. dicto 4. expressis  
verbis habet Gregor. à Valent. in eodem punto 5. verbiſ ſi-  
nem.

Tertium documentum est. Quamvis transgressio regulæ  
in ordine eo, in quo illa per se non obligat ad culpam, non  
sit peccatum ex suo genere, potest tamen mortale pecca-  
tum esse: cum ex contemptu, iuxta tertium casum memoria-  
rum: potest item ex libidine, id est, ex nimia cupiditate ad  
aliquid: aut ex negligencia, id est, ex torpore quadam ani-  
mi, esse peccatum falso veniale, ex D. Thom. in eodem art.  
9. ad 1. Quod & probatur; quia ille excessus affectionis, &  
iste defectus finis rationabilis, aduersatur recte rationi, ideo  
que vitia nt actionem. Atque hinc sequitur, quod Gregor. à  
Valent. not. at fine cit. punti 5. non peccare quidem cum qui  
regulam non obligantem sub peccato, transgreditur obli-  
quam causam quæ rationabilis sibi videtur, quantumcunque  
melius effet ipsam regulam seruare, cum non tenuamus semper  
id facere quod melius est: nihilominus tamen in tali transgre-  
ſione, communiter admisceri aliquid culpe, cum in eam fa-  
cillime irrepator poterit libido: præterquam quod perda-  
re meritum obedientiae, quod coniunctum est cum execu-  
tione regulæ.

Quartum documentum est. Perfectius esse, atque obe-  
dientie vto conformius, prompte exequi, quod Superiorē  
vele intelligimus, quam illius iussionem expectare; nisi for-  
te in rebus arduis, quæ præstatem virtutem, aut eruditio-  
rem requirunt; vt profectio ad Indos pro infidelium cōuerſione,  
aut suscepit alterius gratia oneris & prouincia. Hoc Sorus  
habet De iust. & iure lib. 7. qu. 2. art. 4. ante solutionem argu-  
mentorum. Probat vero, quia in obedientia promptitudi-  
ne maxime commendatur: neq; paratus obedire exigit pre-  
ceptum compulſorium, quando res est clara & aperta. Vnde  
Superiores non nisi rebelles, aut in dubio hærentes, p̄ce-  
pto cogere & vrgere solent.

Quintum est. Quando plures sunt, quibus in religione  
obedientia debetur: illis contraria præcipientibus, Religio-  
sum teneri obediere Superiori potius, quam inferiori. Hoc  
de se manifestum est: quandoquidem hic quoq; illi subest  
teneturque se conformare iusta voluntati ipsius. Vnde se-  
quitur Prælato aliquid illicitem præcipienti, nō esse obtem-  
perandum, quia Deus illud fieri prohibet: nec item præ-  
cipienti aliquid contra regulam, nisi in ea dispensare possit. Si  
autem dubitetur an aliquid sit illicitem, vel contra regulam,  
vel an circa illud Prælatus debite dispenseat, Religiosus iudi-  
cium ipsius debet perferrre suo, & obediere: vt bene monet  
Sylv. in verbo Religio 6. quæſt. 6.

Sextum documentum, tractatum à Sylv. Religio 6. quæſt. 6.  
Cum Prælatus aliquid præcipere possit, vel secundum, vel  
contra, vel præter, vel infra, vel supra regulam: præcipien-  
ti secundum regulam, id est, secundum contenta in regula  
explicite, vel etiam implicite (vt ea sine quibus regula bene  
seruari

392.

393.

394.

395.

seruari non possunt, velut penitentia quæ pro illarum transgressioni in iunguntur) obedientium esse, prout satis de se patet; non autem præcipienti contra regulam, ex præced. documento.

Præter regulam vero præcipienti, Religiosum non teneri obediere: quia votens obedientiam in aliqua religione, intendit id facere secundum regulam eius. Atque, vt ex Diuo Bernardo Syluester adfert, obedientia non extendit se ultra ius prælationis. Quod secundum regulam limitari patet ex forma voti; quæ Religiosus votum obedientiam in tali vel tali genere vita. Porro tunc præter regulam aliquid præcipi centetur, cum id ipsum, nec in ea continetur, nec ad eam expedit, iuuvare eius executionem: vt leuare de terra festucam, aspicere aues volantes, aut numerare stellas.

Infra regulam autem præcipienti aliiquid, quale est reficerre corpus certa hora, aut aliud quod regula permittit, simpli citer obediendum esse Angelus existimat. Sed Sylu. vult id non procedere, cum Religiosus certus fuerit, tale quid sibi nociturum in corpore vel in anima.

Supra regulam deniq; præcipiéti aliiquid, vt ieiunium aut aliam austoritatem ad quam regula non arctat, esse obedendum si iniungatur in peccatum culpæ ante admisla; nō autem si in cautelam culpæ deinceps vitandæ, quando Religiosus videtur se nullatenus ad talen culpam sollicitari. Ratio est, quia Religiosus tenetur quidem ex conditione vita regularis, in primo docimeto exposita, correctioni Superioris subiijere, non tamen pro voluntate eiusdem Superioris amplecti, quod ad regulam nihil attinet, sed limites ipsius excedit. In talibus tamen obediere perfectionis est, quando non sunt contra Deum, aut contra professionem regule: quo casu, obedientia est illicita. Sicq; triplex est obedientia: vna necessaria, quæ Religiosus obedit in ijs, ad quæ obligatur; altera perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: & tertia indiscreta, quæ obedit etiam in illicitis.

Septimum documentum est Religiosum non teneri suo Superiori obediere (*non obstante iure, quod hic in illum acquisuit per ipsum professionem*), quando ei præscribit aliiquid quod est contra maiorem perfectionem; vt si prohibeat ne ad aliam perfectiorem religionem transeat, ex cap. Licer, De regul. Ratio vero est, quod ut iuramentum, sic & votum: nec vinculum iniquitatis sit, nec boni maioris impeditium.

Ottauum documentum est. Eum qui religionem ingressus est, nulla confutadine excusari posse: quin teneatur impleare essentialia regula, qualia censentur, quæ ad tria vota religionis pectant, aut quæ ad corundem obseruationem valde conducunt moraliter; necessaria eis iudicantur. Nam inessentialibus, regularis vita quam professus est, nec vigore potest, nec confitetur. In accidentalibus autem obseruationib. excusari posse consuetudine rationabili, quæ licet forte non sit immemorialis est, tamē (vt vtr verbis Nauarr. in Enchir. cap. 12. n. 50.) tot annorum, adeoq; vetus & antiqua, vt ad emolliendas in religione, aut etiam tollendas prædictas obseruationes sufficiat: sicut potest sufficere A postolicum privilegium, aut licentia, sive expressa sive tacita alterius Superioris autoritatem ad id habentis.

Atq; ex hoc documento consequens est, qm in iunctum numeri quinquagesimi tagit ipse Nauarrus: cum qui ingressus est & professus religionem in qua regularis obseruationia nequaquam viger, non excusari à mortali, si nō obseruerit illa que sunt essentialia regulae, neq; valere excusationem dicetis qd non intenderit se obligare ad vovendum arcuus, quam vivetur in monasterio in quo professus est. Nam eadem ratione, inquiridem, quæ non excusat, is à continentia seruanda, qui facros or dines suscepit, absq; intentione expressa obligandi se ad talem obseruationem: ita nec excusat à servandis essentialibus religionis, qui illam professus est.

Consequens est secundo, quod ex Caiet. idem adhuc habet in seq. n. 51. quod ubi religio deficit in essentialibus, grauissime peccent, qui filios suos aut filias suas illi offerunt.

Consequens est tertio, quando reformatur religio, Religiosi illam ingressus teneri ad recipiendam reformationem in essentialibus, & in ijs quæ conducunt ad essentialia, vt censemur illa sine quibus vt plurimum ipsa vix custodiuntur, iuxta illud quod in Concil. Trident. l. 25 cap. I. De Regul. cōmendatur Superioribus, vt omnem curam & diligenc-

tiam adhibeant ne à talibus Religiosi sui recedant. Vnde patet in statu perditionis esse moniales, quæ clausulam admittere nolunt, quam experientia docet tantopere illis necessariam esse ad custodiam castitatis. Ideoque ab Ecclesia feueri eadem clausura iniungitur, prout constat ex capit. vniaco De statu regularium in 6. & ex Concilio Trident. l. 25. cap. 5. De regularibus, & ex Bullis Pij quinti & Gregor. decimoterii, propositis & explicatis à Nauarr. in commentario 4. De regularib. à numero 39. Aduerte autem obiter, ad talem clausuram pertinere non modo vt moniales extra septa monasterij, non egrediantur, sed etiam vt nec ceteri seu viri, seu foeminae illa ingrediantur. Quod yrrumque sub excommunicatione prohiberi per memoratas Bullas, cum revocatione omnium facultatum, si quæ obtendantur, vide re est apud ipsum Nauarrum.

*Alia documenta pro ratione iudicandi quando contingat Religiosum peccare contra paupertatem.*

Primum est. Religiosum post factam professionem non posse de bonis suis pecuniarib; per testamentum, aut alio modo alienationis, disponere: sed eo ipso, quod factus est professus, omnia illa relicta esse monasterio (nisi forte sit ordinis non possidentis communiter annuos redditus, iuraque perpetua) iuxta capit. Quia ingredientibus 19. quæstionis 3. & Authenticam Ingredi, Cod. De sacrofancis Ecclesijs 1. cum sic dicitur: Ingredi monasteria, ipso ingressu si sua que dedicant Deo. Nec ergo de his testantur, vt pote nec Domini rerum. 1. Quamquam in Gallia (quod notat Coar. De testamentis cap. 4. in fine) bona omnia profitentur, nisi ex precedente pacto referuata sint monasterio, peruenient ad cōsanguineos propinquiores. Aduerte autem obiter, quod cum summus Pontifices concedit aliquibus Religiosis facultatem testandi: id non faciat concedendo eis dominium, sed tantum constitutuendo dispensatores rerum de quibus testantur: ex doctrina D. Thom. 2.2. quæst. 18. in fine. Aduerte item, ex cap. Si qua mulier 19. quæst. 3. si professus reliquerit in seculo filios, quibus nondum legitimam portionem diuiserit, ne iniuria cuiquam corum fiat, ipsum post professionem posse illis portionem eiusmodi diuidere. De his plenius tractat Lud. Molina, De iust. & iure tomo 1. tract. 2. disp. 139. 140. & 141.

Secundum documentum est. Dispositionem à Religioso de suis bonis factam per testamentum ante professionem: post hanc mutari non posse nec reuocari. Hoc habetur ex cap. 2. De testamentis; pro eoq; multis authores refert Coar. ad idem cap. Probatur vero: quia professus nequit condere testamentum ex precedenti documento. Quare nec poteris prius cōdūtum mutare; quia id esset cōdere de novo; quod ut validum sit, perinde ac prius conditum requirit in testatore dominium eorum de quibus testatur: quod negandum est in professo, cum id sit retinere adhuc dominium: qd repugnet pauperi, quam professus est. Veruntamen iusta mutandi causa interuenient, videtur posse quadam ratione id facere: nimis tanquam optimus interpres voluntatis, quam testando habuit. Nam optime omnium potest de illa iudicare ac statuere, vtrum si talen causam præcius sit tunc cum testabatur, voluisse id ipsum statuere quod nunc statuit interpretando.

Tertium documentum est. Religiosum peccare posse contra paupertatem, tum habendo proprietatem & dominium pecuniarib; aut rerum pecuniarib; estimabilium, seu habendo ius de talibus plene disponendi pro arbitrio suo: tum habendo in instar vñfructuarij liberum earum, seu ius eis pro arbitrio tvndi: non tantum ad propriam necessitatem; sed etiam ad quidvis libuerit. Quorum prius esse in Religioso peccatum suo genere mortale, patet tum ex alijs quæ habet Nauarr. in commentarij, 2. de regularibus numero secundo, tum maxime ex eo, quod in capit. secundo & sexto, De statu Monachorum statuitur, vt Monachus qui peculium habuerit, niti ab Abbe fuerit ei pro iniuncta administratione permisum, à communione remouetur alaris: atque is qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec digne penituerit: nec fiat oblatio pro eo, nec inter-

fratres accipiat sepulturam. Id quod circa Religiosos vniuersos obseruari, ibidem praecepit.

Neque vero potest in hac re praetendi dispensatio Superiorum: obstat enim textus expressus in cap. Cum ad monasterium eodem titulo: in eius fine sic habetur. Nec exsufficit Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est regula Monachali, ut contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Quod intellige quidam quis manet Religiosus: cum proprii habere debet contra religionis eleemosynam, tanquam repugnare paupertati, de qua fit vnu ex votis religionis. Alioqui enim si Papa pro sua summa potestate, iusta gravius causa exigente faciat ex Religioso non Religiosum: consequenter licentiam dabit habendi proprium, sicut & ducenti vxorem. Pro cuius rei pleniore intelligentia legendus est Azor in prima parte Moral. Institut. libro 12. capite 7. Pro praxi nobis proposta sufficere possunt dicta in praeced. numero 329.

Aduerte autem ex Nauar. in cit. num. 2. bonorum tantum estimabilium pecunia, votum paupertatis reddere in capacem, ut satis patet ex communi vnu: quo nemine improbat, religiosi profesi sive Episcopi, Sacerdotes, Doctores, &c. tanquam capaces iurium Ecclesiasticorum, ac bonorum virtutis & eruditio debitorum.

399. Posterior ex duabus ante propositis hoc est. Religiosus rerum pecunia estimabilium, liberum vnum habere in suum commodum, peccatum mortale esse potest in tribus casibus, quos tangit Sylu. in verbo Religio 6. qu. 7. Primus est, quando Religiosus in vnum proprium retinet aliqua in magna copia Superiori incio, aut eo contentiente quidem, sed ita ut ille non sit paratus ad huius praecipuum earelinquere. Talis enim retentio rationem habet usurpati dominij, & per consequens peccati mortalis iuxta ante dicta.

Secundus est, quando Religiosus a Superiori accepit aliqua ad vnum, & ijs non solum ad propriam necessitatem, sed etiam ad alia prout libuerit, vitetur. Nam & id quidam rationem habet usurpati dominij, cum de re a libitum disponere, sit actus habentis dominium, seu liberam de ea disponendi potestatem. Quapropter sicut Superior nequit Religioso facultatem dare habendi dominium proprietatem vel aliquorum rerum pecunia estimabilium, ita nec dare potest ut vtratur illis pro arbitrio, ad quoscunq; libuerit vnu; nimis faciendo propria autoritate de illis, quidquid voluerit ad instar vusufructuarum, cui liberum est prout voluerit disponere de fructibus rerum quatum habet vnu fructum.

Tertius casus est, quando Religiosus ad vnum habet multa superflua sine facultate Superioris: aut cum illa quidem, sed non est paratus ea relinqueret ad ipsius mandatum. Nam id est etiam animo habere proprium: non item si haberet ea ex facultate Superioris, & paratus esset eadem relinqueret quotiescunq; Superior ipse velleret. Quod quamvis ita sit, peccat tamen Superior mortaliter, nulla necessitate vel utilitate communicevantur aliquid tale permittendo, ut patet ex eo, quod iuxta cap. 2. De statu monachorum §. Abbas: tanquam praevaricator ordinis, priuatione officij sui, & alio modo secundum regulam, sit puniendum.

Quartum documentum est. Quocunq; Religiosus acquirit, sive per donationes, sive per laborem & industrias, sive alia iusta ratione, acquirere non sibi, sed religioni in qua professione fecit. Ratio est, quia nullius dominij seu proprietatis capax est, neq; suis est, sed sua religionis: sicut seruus sui domini, & filius sui patris. Quare sicut seruus, domino: & filius, patri, non sibi acquirit, ita nec Religiosus acquirit sibi, sed sua religioni. Hoc colligitur ex cap. Abbates §. Monachi, 18. quæst. 2. & ex eo quod ante habitum est profitentem in aliquo ordine ut se, sic & sua eidem tradere.

400. Quartum documentum est. Religiosum tanquam proprietarium censeri contra paupertatem peccare mortaliter, non modo cum aliquid pecunia estimabile tenet contra Superioris voluntatem; sed etiam cum de eo disponit, vel est paratus disponere pro sua voluntate, perinde ac si haberet illius dominium: ut donando, vendendo, aut permutando; qui actus sunt habentis dominium: cum illud per illos alienetur; neq; alienatio qua dominium transfertur, fieri possit

ab eo qui dominium non habet. Adde paratione nec religiosum poste aliquid, etiam sponte sibi ab alio datum, accipere animo vtendi illo pro sua voluntate. Quod si acciperet cum intentione disponendi de illo, non pro sua voluntate, sed iuxta Superioris voluntatem, etiam si peccaret accipiendo sine Superioris licentia; non tamen contra paupertatem: vt pote qui non accipit animo facienda sibi proprium, nec recipit faciat proprium; cum quidquid Religiosus acquirit non sibi sed religioni acquirat.

Sextum documentum est. Religiosum postquam aliquid dono accepit sive ab aliis, licentia, sive cum ea: ac etiam cum animo disponendi de eodem iuxta Superioris voluntatem, non posse acceptancem celare Superiori: quia si animum sincerum habeat, sic debet vti accepto, vt Superior possit de eo disponere: ad quod requiritur vt illud ei manifestetur. Nec item posse de eodem disponere, ne quidem illud redendo cia quo accepit, aut expendendo in eius virilitatem. Ratio est, quia id est alienare, quod acquisitum fuit monasterio 329.

Dubia quæ circa religiosam paupertatem moueri possunt magno numero habet Azor in 1. parte Moral. Instit. libro 12. cap. 8 & al. quorū sequentibus, apud quem illorū explicatio videtur poterit. Tantum addam de Religiosis illorum ordinum in quibus singuli habent suum proprium, difficultatem esse quæ Confessarios vexare solet. An turā conscientia possint manere in aliquo eiusmodi ordine, feruendo quod ibi videntur est: & an qui tutā conscientia possit talē aliquem ordinem ingredi animo faciendo, vt faciunt reliqui.

Cuius difficultatis solutionem, mallem quidem ab alio audire, quam dare: ne tamen omnino desim officio, faluo meliori iudicio dixerim primo: vix consilendum esse ingressum aliquius religionis, in qua passim aliquid de essentialibus, quales est paupertas, violatur: quandoquidem in eō periculum est contaminandi se pari sceleri, alicorū imitatione: iuxta illud Psalm. 17. Cum peruerso peruerteris, ] Vide antedicta num. 380. propositione tertia. Quia igitur in eā dicta proposita difficultatis, dantur passim occasione multa peccata committendi contra paupertatem, nemo negaverit oportere eas vitare. Dixerim secundo, dissuadendum esse ingressum illi qui sicut animo comparatus est, vt si Superioris abusum eiusmodi tollere velint (proprietatem nimis um finiglorum, reducendo ad communiam) paratus non sit promptusque acquiescere, sed velit sua semper apud se retinere. Quia id efficit velle paupertatem vovere, quæ nec re nec animi proposito velit seruare. Dixerim tertio, talem Religionem ingressum, quounque animo ingressum sit, teneri paratum esse ad omnia quæ habet, refinganda in manibus Superioris, quoties ea ex parte voluerit religionem reformare. Interea autem dum nulla fit reformatio, posse retinere sibi ciuidem Superioris voluntate concessa: dummodo id non faciat animo proprietario, seu quo pecunias, & alijs rebus cōcessis tanquam Dominus vtratur ad quoscunq; vnu libetur: sed tanquam pauper ijs vtratur, ad subueniendum suis necessitatibus: in quem sicut conceduntur, tanquam elemosyna. Dixerim quartu, idque consequenter, ex iisdem bonis Religiosum non posse comparare sibi stabili bona, quæ relinquat suis hæredibus: præsternit cum Religiosus acquires aliquid, non sibi, qui incapax est dominij tanquam repugnantis religioso paupertati: sed sua religioni. Dixerim postremo: non videri censendum tutum in conscientia Religiosum, qui experitur propter multitudinem pecuniarum quas possidet in sua religione, se vel omnino, vel difficulter posse in ea vivere sine multis peccatis mortalibus: ideoque ab illo in confessione exigendum esse, vel ut transeat ad antiquum religionem, in qua non sit habiturus talem occasionem: vel ut cedar monasterio suas facultates, referuandis sibi foliummodo quantum satius sit cia ad honestum vicium & vestitum. Alioqui enim amans periculum perit in illo, constituitur in statu perditionis: in quo volens permanere non est capax absolucionis sacramentalis.

\*\*

\*\*